

## FERIA SECUNDA POST PRIMAM DOMINICAM QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. XXV, VERS. 31

31. Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli ejus cum eo, sedebit super sedem majestatis suæ.

32. Et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis.

33. Et statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris.

34. Tunc dicit Rex his, qui a dextris ejus erunt: Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.

35. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitiivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me; nudus, et cooperuistis me.

36. Infirmus, et visitastis me; in carcere eram, et venistis ad me.

37. Tunc respondebunt ei justi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus te; sitiivem, et dedimus tibi potum?

38. Quando autem te vidimus hospitem, et collegimus te: aut nudum, et cooperuimus te?

39. Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, et venimus ad te?

40. Et respondens Rex, dicit illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

41. Tunc dicit et his, qui a sinistris erunt: Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et Angelis ejus.

42. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare, sitiivi, et non dedistis mihi potum.

43. Hospes eram, et non collegistis me; nudus, et non cooperuistis me; infirmus et in carcere, et non visitastis me.

44. Tunc respondebunt ei et ipsi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitiivem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, et non ministravimus tibi?

45. Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis, quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.

46. Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.

## VERSUS 31.

Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli ejus cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ.

## Cum venerit.

1. — Quando Christus hæc dixit, jam prima vice, per incarnationem, in hunc mundum venerat, jam de facto, apud S. Joannem, III, 16, dixerat: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam; non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Super quæ verba Euthymius dicit: « Neque enim solum dedit Filium suum unigenitum, sed et judicium rejectit. » Sed quonam fine id factum esse putas? « In secundum ejus distulit

« adventum; » considerat quoque differentiam, quæ est inter primum et secundum adventum: « Nunc « venit, ut de præteritis veniam tribuat, » inquit de primo; « postmodum ut condemnet. » Et quidem quando longius tempus elapsum est, quo nos exspectavit et quanto majora nobis pro salute nostra data fuere auxilia, majorque longanimitas ejus misericordia, tanto magis nobis in secundo ejus adventu timendum erit. Unde S. Gregorius, *lib. XVIII Mor.*, VII, ait: « Tanto major tunc exercebitur severitas, « quanto major nunc misericordia prorogatur et « districte tunc judicium non correctis erit, qui « pietatem nunc delinquentibus patienter expen- « dit. »

2. — Enimvero quando hic secundus adventus futurus sit, nobis non manifestatur, sed solum dicitur cum venerit; ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. *1 Thess.*, v. 2.

Neque tempus judicii universalis sciri potest, nisi per revelationem divinam: De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli colorum, nisi solus Pater. Circa quæ verba notandum, quod in iis non fiat mentio septimanarum, vel mensium, sed solum dierum et horarum, ut intelligamus, quod quavis hora in hoc tribunal descendere, in eoque sese collocare possit; adducit quoque sacer textus in illo loco exemplum impiorum, qui, dum in summo letitiae excessu erant, obruti et suffocati fuere a diluvio universali: Sicut erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes, ita erit et adventus Filii hominis. Videtur Ecclesia non sine mysterio, hoc nobis Evangelium hodierna die proponere, quando paulo ante in bacchanalibus omnes homines crapulis et comessationibus, aliisque profanis gaudiis dediti fuere, ad denotandum, quod talibus vicinum sit judicium. Etenim apud S. Lucam, XII, 40, Dominus nos monet dicens: Quia hora non putatis, Filius hominis veniet; quasi diceret, tunc vel maxime vicinus erit, quando ipsum minime expectabimus, omnique illius diei timor et metus apud nos evanuerit. Porro ratio incertitudinis diei novissimi judicii assignari potest, quam S. Gregorius dat, quoad incertitudinem mortis et finis cujuslibet hominis, nimirum: « De « morte incerti sumus, ut ad mortem semper « parati inveniamur. »

3. — Æternæ veritatis propositio est, quod omnes stabimus ante tribunal Christi. Similiter verissimum est, quod tempus, quando id futurum erit, omnino ignoremus. Ecce tibi igitur optimum a S. Augustino traditum monitum, dicente: « In quocunque « statu invenerit suis novissimus dies, in hoc com- « prehendit mundi novissimus dies, quoniam « qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo « judicabitur. » Ex quo deducitur, quod oculos nostros non ad futurum dirigere debeamus et considerare Cum venerit, sed ad tempus præsens, statim videlicet illum sollicite ponderando, in quo de facto simus; siquidem huic tribunali quovis momento vicini sumus, quia in puncto mortis nostræ, judicium circa nos particulare instituitur, a quo universale judicium omnino dependet. Porro Job, qui dixerat: Cæli non sunt mundi in conspectu ejus, quique verissimum esse sciebat, quod post illum S. Petrus dixit: Justus via salvabitur, cum summa securitate et confidentia dixit: Si fuero judicatus, scio quod justus inveniar; hujusce autem generosæ fiducia causa ex versione Chaldaica facile colligitur: Ecce nunc ordinavi judicium, scio quod justus inveniar; siquidem is, qui se omni hora vicinum esse credit, ut tremendo Dei judicio judicandus sistatur, vitam suam eo modo instituit, ut nullam prorsus timendi causam habeat, *1 Cor.*, XI, 31: Si nosmetipsos djudicaremus, non utique judicaremur. Et S. Gregorius, *lib. XXV Mor.*, VII, ait: « In hoc mentis

« nostræ judicio tanto citius absolvimur, quanto « nos districtius reos tenemus. »

## Filius hominis.

4. — S. Thomas, in *Matth.*, dicit: « Non est « dubium, quoniam idem sit Filius Dei, sed quare « potius nominat Filium hominis, quam Filium « Dei? » Ratio a sancto Doctore allata hæc est, quia judicaturus erit, in quantum homo, ac proinde ipsemet Joannis, v, 27, dicit: Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est. Lucas Brugensis dicit, Christum se vocare Filium hominis, quasi dicere vellet: « Ego vilis, qui jam habeor « homuncio, eadem quidem hac hominis forma, sed « in majestate venturus ero. » Proinde scribitur, *Joan.*, XIX, 37: Videbant in quem transierant. S. Antonius de Padua, Christum in hac specie humanam, potentia suæ specimen exhibere velie existimat: « Quia enim in forma hominis judicatus « est, ne videretur hoc passus ex impotentia, idcirco « in tali forma judicabit, juxta illud, *Psal.*, I, 6: Ut « vincas cum judicaris. »

5. — S. Thomas inquit: « Filius hominis, ut ab « omnibus videatur, in forma enim divinitatis non « poterat videri nisi a bonis. *Apoc.*, I, 7: Videbit « eum omnis homo. »

6. — Ad convincendum laxam familiam, inquit S. Antonius; siquidem fragilis hac carne vestitus, per triginta trium annorum decursum, « ostendit « et docuit formam vivendi et ideo in tali veniet « ad judicandum, ut ipse sit iudex et testis. »

7. — Propter meritum Christi, hoc enim meruit propter suam Passionem, inquit S. Thomas, atque ideo in eadem novissimi judicii die, vexillum Crucis explicabit et cum cicatricibus et vulneribus publice comparebit. Unde Eusebii Emissenus horrorem et terrorem, qui exinde in reprobis resultabit, hunc in modum, *Hom. IV ad Mon.*, meditat: « Quam lugubre erit homini, Deum videre et per- « dere et ante prælii sui perire conspectum! »

8. — Ad exhibendum et exercendum gratiam « clementiam, ut sit manifestum, quod in miseri- « cordia judicabit, puniendo citra condignum. » Idem quoque clementiæ motivum S. Antonius Paduanus et S. Thomas de Aquino, *ibid.*, pariter tetigerunt his fere verbis: « Ex Dei clementia, ut « homines ab homine judicentur. »

9. — Verumtamen diei quoque potest, quod Christus in novissimi judicii die speciem assump- « turus sit hominis, ut tanto rigidior, severior et im- « placabilior existat; quia dici solet: « Homo homini « lupus. » Et ideo Deus in Osea, XXXI, 9, dicit: Non faciam favorem iræ meæ; reddiditque rationem: Quoniam Deus ego et non homo. De Deo, *Eph.*, II, 4, dicitur: Deus qui dives est in misericordia, non vero item de homine, qui potius de eo, *Eccl.*, XXVII, 3, scribitur: Homo homini reservat iram, in homi-

*nem similem sibi non dabit misericordiam.* Sicut igitur tanta cum crudelitate ab homine iudicatus et condemnatus fuit, ita quoque eidem in specie humana, vicem rependere decrevit, neque enim in iudicio maior exerceri potest rigor quam si is, qui antea contumeliose iudicatus fuit, tandem contra eos, qui tale iudicium, sententiam aut condemnationem pronuntiarunt, aut promoverunt, latus est iudicii ultimam sententiam. Enimvero coram Pilato accusatus tacuit; at vero, ut S. Augustinus scribit: « Oportebat ergo ut taceret in Passione, non taciturus in iudicio; iudicandus enim venerat, qui postea iudicaturus veniret, et ideo cum magna potestate iudicaturus, quia cum magna humilitate iudicatus. » Unde in Isaia, xlii, 14, prædicit: *Tacet, sibi, patiens fuit; sicut portarius loquar, dissipabo et absorbebo simul.*

*In majestate sua.*

10. — S. Antonius de Padua, *ibid.*, ait: « In majestate visuri sunt, quem in humilitate videre noluerunt. » Imaginemur nobis, obsecro, majestatem et potentiam regis alicujus, ab exereitu quodam valde formidabili circumdati et comparationem quamdam instituiamus, inter illum et hunc iudicem, qui in Scriptura sacra *Rex regum et Deus exercituum* saepe nominatur. Et quidem in primis vultusne eum videre exereitum? Legitur, Sap., v, 18: *Armatib. creaturam ad ultionem inimicorum; pugnabit pro eo orbis terrarum.* In libro *Judicium*, v, 18, 21, scribitur: *Stella manentes in ordine et cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt.* Hic autem omnes sphaerae caelestes, in idem cum Christo Iudice, prælium descendunt, dicente Luc., xxi, 28: *Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura gentium, arescentibus hominibus præ timore; et virtutes caelorum commovebuntur.* Quodsi armatura ejus consideretur, quam illa majestatem et terrorem secum non affert? Sap., v, 18, 19, 20, 22: *Accipiet armaturam zelus illius, inducet pro thorace justitiam, accipiet pro galea iudicium certum, sinet scutum inexpugnabile regulatum, acuet duram iram in lanceam.* In *Deuteronomio*, xxxi, 44, pariter armatus exhibetur: *Si aereo ut fulgur gladium meum, et irriquerit iudicium manus meae, inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus devorabit carnes.* Ad militarium tubarum sonum terrentur et consternantur populi vicini; at vero cum tuba iudicii insounerit, ut S. Hieronymus ad Hebræonum scribit: « Tunc ad vocem tubae parebit terra cum populis, iudicaturus Domino lugubris mundus imaugiet; potentissimi quondam reges nudo latere palpabunt. » Et proinde Regum sanctissimus David, ut potentiam saeculi hujus fastum et superbiam depriemeret, eosdem monuit, *Psal.* u, 10, dicens: *Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, servite Domino in timore.* Mira profecto exhortatio;

et enim illi, qui terræ sunt iudices et domini populorum, qui omnes alios homines coram pedibus suis venerabundos et volut tributarios prostratos conspiciunt, denique, qui totum mundum tremere faciunt, hi, inquam, non a vulgari quodam predicatore, sed pariter a coronato et uncto quodam rege, ut ante Iudicis hujus majestatem positi contremiscant, invitantur; hic autem pavor longe magis ex Angelorum presentium comitatu adaugebitur.

*Et omnes Angeli ejus cum eo.*

11. — In obsequium ejus, tota curia caelestis congregata erit: « Angeli omnes a summo primi ordinis, » inquit Lucas Brugensis, « ad ultimum usque infimi; » adeo ut Paulus de Palatio scribere non dubitet: « Hæc erit unica illa dies, qua cælum « vacuabitur civibus suis; » id quod diu ante ipsum quoque sensit Chrysostomus, dum, *Hom. lxxx in Matth.*, ait: « Eracuari, ut ita dixerim, « cælos ostendit. » Idem vero Dionysius Carthusianus multo clarius expressit, dum ait: « Omnes « Angeli novem ordinum; » etenim pro eo, quod in primo suo adventu cum humilitate et paupertate, paucorum piscatorum pauperum societate stipatus, in hunc mundum descendit, nunc omnium caelestium hierarchiarum cetera gloriose circumdatus, venturus erit: « Propter reverentiam Iudicis; » et hi omnes, ut S. Antonius de Padua ait: « Erunt « assessores iudicii. »

12. — Lucas Brugensis, omnes Angelos cum eo descensuros esse dicit: « Magnificentie causa, » ad eum fere modum, qui circa potentates hujus saeculi adventantes usurpari solet; his enim, quando ad regna sua visitanda abeunt, omnes eorum jurisdictioni subjecti, principes et barones, omni qui possunt conantur elegantissime cum aulis suis occurrere, eisque debita præstare obsequia satagunt, pariterque ut gens armis induta, nullaque militum suorum cohortes assistant, operam navant.

13. — Omnes Angeli cum illo erunt, inquit Lyranus, « propter executionem iudicii, » siquidem Angelorum ministerio tritici granum in cæli granarium congregabitur. S. Antonius de Padua ait: « Ut « sint ministri resurrectionis præcones et executiones condemnationis. » In tempore messis dicam messoribus, colligite, etc.; id est, ut Lyranus interpretatur, « tempore iudicii dicam Angelis. »

14. — S. Thomas, in *Matth.*, ait: « Quia cunctos sunt hominum, ideo aderunt, tanquam « testes, quia boni custodiam suam receperunt, « mali autem non, sed repperunt. » Idem quoque Dionysius Carthusianus his verbis scribit: « Ad « excusationem eorum, qui angelicis instinctibus « noluerunt assentiri. » Chrysostomus omnia nobis auxilia divina in die illa exprobranda esse existimat, quæ Deus nobis unquam pro salute nostra

subministravit, quorum communicandorum nobis Angeli potiori ex parte fuere ministri: *In ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Heb., xi, 14.

*Tunc sedebit super sedem majestatis suæ.*

15. — S. Anselmus verba *Super sedem*, ita explicat: « Id est, super Ecclesiam, in qua tunc « apparebit omnipotentia ejus. » Lyranus hanc sedem, per potestatem iudicariam intelligit. Cajetanus, an Iudex vere in throno quodam corporali- ter sessurus sit, incertum esse existimat: « Humani « forma iudicii id suadet; alioquin sedes gloriae, « auctoritas est quieta, regnandi et iudicandi mun- « dum. » Iudices hic in terris sedent, ut per hanc sessionem se mature et deliberate iudicare, nec sententias præcipitare indicent, nisi prius per seriam et quietam discussionem, ab ipsis ventilata fuerint; hoc autem multo fortius in Christo procedit, de quo dicitur: *Sedebit super sedem*; ideoque unusquisque fatebitur dicens: *Justus es Domine et rectum iudicium tuum*; et merito quidem, quia ipse- met de se protestatur, *Psal.* lxxv, 3, dicens: *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.*

*Super sedem majestatis suæ.*

16. — Cajetanus legit: *Super sedem gloriae suæ*; magna namque gloria apparebit amictus, totus resplendens et solis instar luminosus. Unde tribunal hoc in Apocalypsi S. Joanni exhibitum fuisse videtur, siquidem illud hisce verbis, xx, 11, egregie describit: *Vidi thronum magnam, candidum et sederem super eum, a cuius conspectu fugit terra et cælum, et vidi mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni et libri aperti sunt.* Valde quidem considerabilis est illa terre colique a conspectu magni hujus tribunalis, fuga et subductio; siquidem: *Cæli non sunt mundi in conspectu ejus; in Angelis suis reperit privitatem.*

VERSUS 32.

*Et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis.*

*Et congregabuntur ante eum omnes gentes.*

1. — Omnes ante eum congregabuntur animæ, quæ a primo patre nostro ad finem usque saeculorum fuere create, item omnes spiritus Angelici, quorum numerus quasi infinitus erit, tam boni, quam mali, quia omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, dicit Apostolus, II *Cor.*, v, 10. Ubi S. Thomas ait: « Nullus excipitur: Tuba mirum « spargens sonum, coget omnes ante thronum. » Quam infinita, inexplicabilis et incomprehensibilis futura erit illa, ex omni sexu, statu, professione et

conditione personarum, sine ullo gradus aut dignitatis discrimine, solis exceptis electis, sanctis et beatis cæli civibus collecta multitudo! Quot reges, imperatores, alique potentissimi mundi monarchæ ab agricolis et vilibus rusticis conculcabuntur, facti jam demonum risu atque Indubium! Porro dubium hic quoddam subnascitur, quomodo vallis Josaphat hujus infinite et innumerabilis multitudinis capax esse possit? Respondet vero Lucas Brugensis, quod supremus ille Iudex super montem Oliveti sit descensurus, ut promissionem illam adimpleat, quam Angeli ex parte ipsius in ejus admirabili ascensione, perspicuis verbis fecerunt, dicentes: *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum ascendentem in cælum.* Ibidemque in luminosa quadam nube, in aere suspensa considens, iudicio assistet; et quia ex præcedentibus terra, motibus celsissima montium juga subversa, universaque terra igne exusta erit, nullum sive ex Calvaria monte, sive ex urbe Jerusalem, sive ex alio quocumque loco circumvicino impedimentum futurum erit, quo minus ex omni parte vallis Josaphat videri possit, maxime cum probabilis admodum sit multorum opinio, quod sancti Angeli, omnesque electi *Volubit sicut aquilæ*, ac proinde non terræ aliquid spatium, sed aera occupaturi sint, ut celsissimum illum gloriae regem, Redemptorem et glorificatorem suum cingere, suaque societate condecorare possint.

2. — Ex hoc ingenti totius terræ, totius cæli, totiusque inferni congregato spectaculo satis perspicue colligitur, qualis futura sit nostra confusio et verecundia, cum coram omnibus illis tot ingentia et horrenda scelera nostra manifestabuntur, quæ alias sub densissimis tenebris in æternum sepulta fuisse desiderassemus. *Illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium.* I *Cor.*, iv, 5. Porro Job, qui, ut paulo ante diximus, audacter de se dixit, xiii, 18: *Si fuero iudicatus, justus invenior*; qui tanquam vir sanctissimus ab ipsomet Deo, in conspectu et presentia Satanæ canonizatus fuit; hic, inquam, in illa die nihilominus dicit: *Quis mihi hoc tribuit, ut in inferni protegas me et abscondas me?* Ac proinde privilegium istud tunc multo minus concessum erit illis, qui hunc Iudicem non solum palam et manifeste, verum etiam clam et occulte gravissime offenderunt. Unde S. Bernardus ait: « Non erit, in quo lateas misera; « frustra dices montibus: Cadite super nos; nudam « et apertam oportet te stare ante tribunal Christi. »

*Et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis.*

3. — Lyranus ait: *Quia iustitia ejuisubdet et malitia apparebit omnibus manifeste et talis distinctio vocatur separatio*; tunc manifestabitur multorum occulta virtus et sanctitas, qui in hac vita, ne appa-

rerent viderenturque ab hominibus, ab hominum oculis fuere absconditi, sicut e contra Deus eorum manifestabit hypocritam, qui hic in terris ab hominibus, qui non nisi externa vident, permagni fuerit aestimati. *Elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Matth., xxiii, 48.* Enimvero Deus hic ad majus servorum suorum meritum permittit, ut hominibus abominabiles et contemptibiles existant, impii vero e contra exultent et apud omnes in honore sint; at vero veniet tempus aliquando, quando ea, quae nunc inverso ordine posita sunt, perfectiori cum discrimine a se mutuo secerentur: *Separabit eos, etc.* Neronis, Domitiani, Valeriani, qui per fastum, arrogantiam et crudelitatem suam conculcabant Martyres, tunc sub infimae foecis inferni pedibus prostrati iacebunt; illi autem *sedebunt super sedes, iudicantes duodecim tribus Israel. Matth., xix, 28.*

4. — Glossa Interlinearis similitudinem notat pastoris, qua Dominus noster hoc in loco usitur, dicitque, quod per pastorem illum intelligatur pastor, qui *posuit animam suam pro ovibus suis.* Id quod S. Antonius de Padua pariter consideravit, dum ait: « Igitur separabit eos ab invicem, qui sicut pastor pro ovibus suis tradidit se et tunc pingues mactabit, illos autem, qui in afflictione fuerint, ducet ad pascua aeterna; » adducitque illum Jeremie, *xxii, 3, textum: Congregat eos, quasi gregem ad victimam.*

## VERSUS 33.

*Et statuet oves quidem a dextris suis, haedos autem a sinistris.*

*Statuet oves.*

1. — Chrysostomus, *Hom. lxxx in Matth.,* electos ovium nomine appellari existimat, eo quod haec animalia sint admodum foecunda et fertilia: « Uberes enim et multi ab ovibus fructus proficiunt; » cunior, a lactis copia, ab elegantia lane, a fetu, « quibus omne haedorum genus omnino caret. » Ipsa ovis lana se spoliari permittit, ut alii inde vestiantur, ipsa tremula remanente praefrigore. *De vellentibus ovium mearum calefactus est, inquit Job de paupere.* Ovis mite et mansuetum animal est, non recalcitrat, non irascitur, tametsi lac, lanam, fectus, imo et pellem ipsam ab ea abstuleris et ad maeculum mactandam duxeris. Lucas Brugensis dicit: « Oves propter obedientiam, patientiam, mansuetudinem, simplicitatem, praesertim vero vite innocentiam, cum beneficiendi studio conjunctam. » Porro populus Israeliticus, qui inter omnes alias terrae nationes divinae legi obediens et subiectus erat, multisque operibus bonis se fertilem et fecundum esse probavit, hic, inquam, dicebat, *Psal. lxxviii, 43: Nos autem populus tuus et oves pascuae*

*tuae.* Et S. Thomas paucis verbis ait: « Quare bonos vocat oves? propter quatuor: invenimus enim in ovis innocentiam, patientiam, obedientiam, affluentiam fructuam. »

## A dextris suis.

2. — S. Thomas dicit, dexteram esse locum nobiliorem, magisque conspicuum, ac proinde electis assignari; quamvis etiam per dexteram aeterna retributio congrue intelligi possit: *Delectationes in dextera eius usque in finem;* de Christo etiam scribitur: *Sedet a dextris Dei.* Unde Lyranus ait: « Sedere ad dexteram Patris, designat esse in potioribus eius bonis; sicut dextera est pars nobilior et potior corporis. »

3. — Origenes a S. Thoma citatus, similiter per dexteram, aeternae gloriae remunerationem intelligit: « Quia qui intentionem suam direxerunt ad Deum, id est, in remuneratione aeterna. »

4. — Paulus de Palatio historicum Jacobi Patriarchae adducit, qui morti vicinus existens, manum suam dexteram extendit et posuit super caput Ephraim fratris minoris, sinistram vero super Manasse misit, qui major erat, *Gen., xlviii, 14: Commutans manus benedixit;* elegantissime manus jam moriens commutat, fecitque sibi dexteram, qui sinister erat, sinistramque eum, qui erat dexter; ita et Christus non ipse moriens, sed in mundi morte manus in iudicio commutat et justos facit dextros, quos mundus habuerat sinistros et contra, impios statuit ad levam, qui mundo dediti erant. »

5. — Hugo Cardinalis aliam quandam explanationem adducit, nimirum, quod per dexteram, bona caelestia, per sinistram vero, bona terrena intelliguntur. Unde sequens deditur argumentum: « A dextris sunt, qui quaerunt aeterna; a sinistris, qui quaerunt praesentia; nam, per dexteram, significantur aeterna; per sinistram, temporalia. »

## Haedos autem a sinistris.

6. — S. Thomas, *ibid.,* ait: « Per haedos intelligit peccatores, quia est animal per praecipitium vadens; » semper enim haedi extra viam per rupes incedunt, tales sunt impii, de quibus scribitur, *Psal. cxviii, 3: Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt; solae autem viae Dei, viae sunt rectae atque securae: Via tuae rectae.*

7. — Lucas Brugensis ait: « Haec nos propter stupiditatem, rixositatem, immodestiam, lasciviam, praesertim vero vite immunditiam et fetorem peccatorum; nec male additur, quod hirens locis altis et praecipitiis gaudet. » Ipsorum quoque proprium est, gulosum et intemperantem esse, quia nimirum nunquam satiari posse videntur, ac proinde enervis se periculo exponunt, ut pastum sibi comparare queant. Lyranus in iis praeter fetorem

etiam in ipsis quandam in luxuriam propensionem notat; unde et S. Thomas, haedum esse dicit, ad coelum ferendum.

8. — Idem quoque S. Doctor adjungit, quod ex ordinatione legis, pro peccato offerrebat, ac proinde merito per haedos, improbos vult esse intellectos.

9. — Lyranus dicit: « Bene dicit haedos, non capras, quae foetus habere possunt, haedos enim petuleum animal est et stolidum. »

10. — Sapiens, *Prov., iii, ait: In sinistra illius divitiae et gloria;* at vero divitiae, honores et gloria mundi, ut plurimum penes reprobos esse cernuntur, adeoque in iudicio, non sine causa, ad sinistram collocabuntur, quia nulli alteri rei in hac praesenti vita operam dederunt, praeterquam accumulandis divitiis et comparanda sibi gloria mundi: *Statuerunt oculos suos declinare in terram. Prov., xvi, 11.*

## VERSUS 34.

*Tunc dicit Rex his, qui a dextris ejus erunt: Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.*

## Tunc dicit Rex.

1. — Advertendum hic est, quod Christus, Sapientia Patris, non sine ingenti mysterio, in principio Evangelii *Filius hominis* appelletur, postea *Pastor* dicatur, demum vero mulata phrasi, *Rex* nominetur, *Tunc dicit Rex.* Jansenius dicit: « Regem se vocat, quod Regis sit judicariam proferre sententiam, et cum ad regni consortium vocare, tum ab illo proscribere; » ubi de remuneratione praemiorum et sententia ferenda agitur, talem sibi titulum attribuit, qui supremam denotat potestatem, et maxime, cum nobis daturus est caelestis regni investituram et possessionem, tunc praecipue nobis vult esse notum, se illum esse, in cuius faemore scriptum legitur, *Apoc., xix, 16: Rex regum, et dominus dominantium;* quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates.

2. — Paulus de Palatio ingeniose observat Christum solum tunc se Regem appellare, cum electis daturus est sententiam mercedis dandae; at vero, quando postea reprobis maledicit, nullum prorsus titulum sibi attribuere: « Ubi intellige piis Christum esse omnia, sicut Rex omnia est in regno suo, cum tacet, cum nihil addit loquens impiis, intellige jam Christum nihil habere cum impiis, et nihil impios habere cum Christo. »

## Venite benedicti.

3. — Queri hic potest, cur prius remunerentur electi, reprobi vero secundo et ultimo loco. Respondetur id fieri ad denotandum, quod Christus ad praemium magis quam ad puniendum sit inclinatus, magisque ad misericordiam quam ad justitiam

propensus, *Joc., ii, 13: Superexaltat misericordiam iudicium.* Lucas Brugensis ait: « Propensior ad salvandum quam ad damnandum, pariterque ad beneficiendum quam ad puniendum, incipit a salvandis iudicium; sponte enim benefacit, quia bonus est; invitus autem punit, quia iudex est. »

4. — S. Bernardus aliam hujus rationem reddit, *Serm. lxxx in Ps. xc;* nimirum id fieri dicit, ut reprobi magis torqueantur: « Ut acrius doleant, videntes quid amiserunt; » unde est quod penes Sapientem lamentatur, *Sap., v, 2, dicitur: Hi sunt quos habuimus in derisum, et in similitudinem inapproprii: nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam et finem illorum sine honore; ecce quomodo computati sunt inter filios Dei.*

5. — Enimvero quod nec ab humano, neque ab angelico intellectu intelligi possit infinitus ille honorum manipulus, quem dicitur *Benedicti* in se includit, id verum esse agnosceat quisquis sese ad verba illa, *I Cor., ii, 9, velleterit: Oculis non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae preparavit Deus his, qui diligunt illum. Benedicti,* inquit alibi idem Paulus, *Eph., i, 3, omni benedictione spirituali in caelestibus.* Et S. Bernardus, *Serm. xi de jud., ait: O dulcissima locutio et vox eum iudicatio plenissima, invitans ad amplectum totius Trinitatis et ad quietem et aeternam possessionem suae gloriae triumphalis.* O quanta « iudicantia erit cuiuslibet, videre se regem fieri aeterni regni. »

## Patris mei.

6. — Jansenius considerat quod beatos, duplicem ob causam, benedictos Patris sui appellare valeamus: « Et ratione electionis ab aeterno, et ratione gratiae suae, quia ipsos in tempore fecit consortes; » siquidem gratia aeterna benedictionis semen est.

7. — Chrysostomus, *Hom. lxxx in Matth.,* optime considerat quod illi tam benigne et benevole invitentur: *Venite, benedicti Patris mei;* impii vero dicatur: *Ite, dicit, maledicti,* « non quidem a Patre; » q. d. non vocat eos ab aeterno Patre suo maledictos, quia ipsimet sibi aeternae maledictionis suae fabri extiterunt; et ideo Deus in ipsorum damnatione, partem nullam obtinet: « Non enim ipse, sed opera eis propria maledixerunt. » S. Thomas hanc quoque considerationem adducit: « Benedictiois quidem ministrator est Pater, maledictionis autem unusquisque sibi est auctor; » adeoque quando beatitudine praemiarum, sperare omnino debemus quod, tametsi mercedis nomine a Deo donetur, nihilominus: *Omne datum optimum et omne donum perfectum de sursum;* gratia enim, per quam operamur et beatitudinem meremur, a Deo derivatur; e contra vero in peccato nihil nobiscum participat, sed totum a nostra malitia procedit.

*Possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.*

8. — Hugo Cardinalis ex verbis hisce hanc deducit consequentiam eamque verissimam, nimirum : « Ergo omnes boni erunt reges? verum est. *Apoc.* » 3, 6 : *Princeps regum terre, qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, et fecit nos regnum.* » Hinc est, quod etiam Jeremias de beato illo regno, sub symbolo urbis Jerusalem tractans, xvii, 23, prædixerit : *Ingressentur per portas civitatis hujus reges et principes, sedentes super solium David, quilibet enim beatus corona et diademate regio honorabitur.*

9. — Chrysostomus, *Hom. xxxiv in Gen.*, nos omnes ad immensam Dei nostri beneficentiam invitavit, utpote per quam non solum, priusquam hominem crearet, verum etiam priusquam magnahuc mundi machinæ primordiale ipsius esse dedit, cœlum empyreum in habitationem et palatium nostrum creavit : « Ut et ante facta fundamenta mundi, nobis regni cœlorum fructum præparare dignatus sit. » Primum, quod inter omnes res creatas ab omnipotenti Altissimi dextera egressum est, felicissimum illud regnum fuit, primaque verba, que in Scriptura sacra a Spiritu Sancto dicta sunt, ad eum præcipue finem fuere conscripta, ut sublimis hujus edificii ad nostram utilitatem fabricati aequalium nobis suppedigaret notitiam. *In principio creavit Deus cœlum et terram;* imo ut Jansenius observat : « Minus dicit, plus significare volens, non enim justis regnum tantum paratum fuit a constitutione mundi, sed ab æterno, siquidem, ut habet Paulus, elegit nos in ipso ante mundi constitutionem. »

10. — Porro prætentio, qua ad regnum istud aspiratur, adeo justa, æqua et sancta est, ut, cum hic in terris illi, qui aliena regna non solum prætendunt, sed etiam ambiunt, tanquam rei criminis læsæ majestatis in primo capite, morte aliisque atrocissimis pœnis puniantur; in altera vita e contra quadam infernalium pœnarum æternitate puniantur, atque a beato illi regno in sempiternum excludantur omnes illi, qui illud ex toto virium suarum conatu non desiderant aut consecuntur, adeo etiam ut Salvator noster in quotidiana oratione nos inter cœtera petere docerit : *Adveniat regnum tuum, imo expresse præcepit, Matth., vi, 33, dicens : Primum querite regnum Dei.*

#### Versus 33.

*Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me; et nudus, et cooperuistis me.*

1. — Quærit S. Thomas, in *Matth.*, an totus hic discursus vocaliter instituendus sit, et respondet :

« Quod isti dicent, non erit vocale, sed secundum anteriorem instinctum; et hoc dicit Augustinus, quod divina virtute erit, quod unicuique occurret, quod fecit; et hoc patet per Apostolum, *Rom., ii, 15 : Testimonium reddente illis conscientia eorum.* » Jansenius quoque eandem questionem examinat, censetque id quod in Evangelio refertur, non tam a iudice quam ab electis profectum esse : « Sed hac narratione Dominus suum sermonem nostro accommodans captivi, crasso quodam modo significare voluit novissimi iudicii rationem. » Verisimile tamen esse existimat, quod sicut in forma visibili compariturus erit, ita quoque multa prolaturus sit verba, quibus justos ad premium evocabit æternum, reprobos vero ad inferni pœnas condemnabit.

2. — Enimvero certissimum est, quod ex illis animabus electis, que ad beatum illud regnum possidendum evocabuntur, plurimæ futuræ sint, que pro eodem regno sibi comparando, vitam prodegerunt et sanguinem, prout a tot martyrum myriadibus factum esse constat; alii erunt qui virginitatis florem perpetuo servare intactam et illibatam; alii, qui ad rigorosissimas penitentias subeundas horridis se eremis mancipant, de quibus aliusque similibus, procul dubio Apostolus loquitur, *Hebr., xi, 37, dum ait : Lapidati sunt, secti sunt, in occasione gladii mortui sunt; circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustissimi, estque verissimum quod canit sancta Mater Ecclesia : « Omnes Sancti, qui antea passi sunt tormenta; » ac proinde cum in sanctis et electis Dei, tanta tanque præclara et generosa sint merita, cur hic Iudex, in quo tanta est æquitas et circumspectio, solum hæc misericordiæ opera et non alia commemorat? S. Thomas per auctoritatem S. Gregorii respondet : « Proponit ista tanquam minora, si enim ista, que dicitur natura, non faciunt, nec alia multo magis. » Nimirum iudex ille ostendere voluit, nos proorsus inexcusabiles esse, si damnemur, siquidem cœlum pro tam vili et facili pretio nobis cedit, quale est operum misericordiæ impendium, que naturæ nostræ adeo conformia existunt, ut Dionysius Carthusianus dicat : « Sunt magis conaturalia homini; nihil enim naturalius quam benefacere consorti naturæ. » Idem quoque Lucas Brugenensis his verbis scribit : « Ut magis naturalia sunt homini, ita notiora et magis vulgaria sunt, que pene a quolibet præstari possunt. » Jansenius ait : « De quibus nemo se facile excusare potest; huiusmodi dilectionis enumerat opera, que omnibus competere possunt. » Etenim cuncta, jejunia, solitudines, et alia perfectionis altioris opera, cuius statui et vocationi personarum non quadrant; imo ut se uniuscujusque viribus et facultati adaptet, varia refert operum genera : « Ex his, que possimus, humanitatem requirit, » inquit Euthymius,*

« his enim, qui non possunt, sufficit quod velint; » varias siquidem, humanitatis partes recenset, ut, siquidem possumus, omnes impleamus; sin autem, at saltem eas quas possumus; » ac proinde Lucas Brugenensis nos monendo, dicit : « A Deo enim sin gula recolantur, ut advertamus non futurum extra misericordiam, qui vel partem horum fuerit executus, » ut dives ille epulo, *Luc., xi, 49, qui epulabatur quotidie splendide, induebaturque purpura et bysso, electorum numero inseri potuisset, sufficisset abunde, secundum quod Chrysologus scribit, Serm. cxxii, pauperi Lazaro micæ impertitus fuisset, que de mensa ejus decidebant, quasque ne canibus quidem negabat : « Qui sitis extremi digiti guttam, quam si vel solam dedisses pauperi, non sitires? » Imo sufficisset, si in corde suo vel minimæ aliqui compassionis et charitatis scintille locum dedisset.*

3. — Dionysius Carthusianus aliam assignat rationem, nimirum : « Quoniam opera misericordiæ directe et evidenter includunt charitatem, virtutum reginam. » Enimvero certum est, solam charitatem esse virtutem illam, que capiti nostro gloriæ coronam imponit, hæc nobis cœlum aperit, et sine hac nullus ad beatitudinem a nobis sperandus est aditus; at vero charitas erga proximos, manifestum est amoris erga Deum indicium : « Unam speciem bonorum operum posuit, hic, » inquit Lucas Brugenensis, « pro toto genere operum bonorum; » hæc autem compassio, que pro sua radice habet amorem erga proximum. Paulus de Palatio ait : « Nec audire pigeat causam, cur Dominus solem lam charitatem et misericordiam delegit, cui possessionem regni tribueret, causa est, quia nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo; at sola charitas duxit Christum ad nos, igitur sola charitas efferret nos ad Christum. »

4. — Porro Salvator noster tantam habuit, ad subveniendum pauperibus et desolatis, pariterque prospiciendum de bonis et æterna salute divitibus et commode viventibus, et sollicitudinem et curam, ut data opera et studio hæc misericordiæ opera præceperit, adeoque præ cæteris bonis operibus, etiam natura sua præstantioribus, deprecari, ut ad illa proximis nostris libenter impendenda tanto magis accenderemur, et proclives essemus; unde Dionysius Carthusianus dicit : « Ut homines ex his verbis invitentur ad opera pietatis. » Etenim dum divites operibus misericordiæ dant operam, pauperibus ex una parte subvenitur, alique qui eis benefaciunt, multum lucrantur, dum occasione sibi a Deo oblata bene utentes, per meritum et adimplentem horum operum, cœlestem sibi Paradisum comparant. Quodnam Christus, ad opera misericordiæ exercendam, efficacius motivum suggerere potuisset, quam dum ex fide divina nobis certum esse asseruit, quod Christus ipsemet sit is, qui est fame-

licus, sitibundus, nudus et infirmus in cunctis illis miserabilibus hominibus, quodque ipse sit, cui opera illa misericordiæ ministrantur? Seminus insuper, quod quodecumque misericordiæ opus proximo nostro impenderit, ipsimum cum immensa gloria et applausu omnibus, qui in cœlesti Paradiso sunt, Sanctis, omnibus Angelis, cunctisque dæmonibus et reprobis revelandum erit, simulque securi, quod pro illis æterno quodam beatitudinis regno simus remunerandi.

5. — Consideratur etiam ab expositoribus verbum illud, *Mihi*; etenim ab hinc per quinque millium annorum spatium nusquam adeo perspicue nobis constat, quod charitas, que proximo a nobis exhibetur, ab ipsomet Deo in persona propria recipiatur, quemadmodum id Christiano, in lege gratiæ liquidum est, postquam æterna et incarnata Veritas Evangelium hodiernum promulgavit. Unde S. Paschasius, *lib. xi in Matth.*, jure merito dicit : « Hodie nemo est, qui ignoret Deo se præstare, quod quidquid pauperibus Christi tribuit, » Lucas Brugenensis circa eandem dictionem *Mihi*, ita scribit : « Dedisti mihi Redemptori, Salvatori, Domino, ac Regi vestro. Urget pronomen mihi, ut intelligatur, quare hujusmodi operibus per se parvis ac vilibus, retribuatur mercedem, regnum cœlorum; » ostendit enim, quod opera meritum et dignitatem suam præcipue accipiant a persona, respectu cujus, vel in cujus gratiam dantur. Sicut enim, si quis Regi alicui in extrema necessitate, vel in evidentissimo vitæ periculo constituto succurreret, mirum non esset, si hic benefactorem suum regni sui faceret esse participem, ita quoque est in præsentem; unde per adductam Auctoris Imperfecti auctoritatem ita concludit : « Tale videtur opus, non quale datum est, sed qualis persona illius, qui accepit; » unde in bilanciæ pœnedus est non pauper, non infirmus, non incarcerationis, qui charitatem accepit, sed ipsemet Dei Filius, qui protestatur, dicens : *Esurivi et dedistis mihi manducare, etc.*

6. — Considerari etiam hoc loco potest, quod Christus, hæc verba, dicens, in sublimi majestatis throno considerat : *In majestate sua* : vel *In sede majestatis sue*, lotius cœlestis curiæ multitudine stipatus, in actu polestatiæ judicariæ exercens, et tamen paupertatis et nuditatis sue meminisse non dedignatur : *Hospes eram, nudus, infirmus, in carcere, etc.*, quot facta heretica in triginta tribus illis vitæ sue annis patrata, v. g. Ascensionem, Resurrectionem, aliisque similia gloriosissima mysteria, in medium adducere poterat? Nimirum docere per hoc nos voluit, curandum nobis esse, ne in supremis dignitatibus, sublimibusque honoribus constituti, obsequentur, nobis inferiori conditione positus præstatorum, vel etiam æquarum, quas adversitatis tempore passi sumus, nequaquam obliviscamur, *Ecl., xi, 27 : In die bonorum, ne inme-*

mor sis malorum. Dionysius Carthusianus aliud motivum adducit, cur solius misericordia, in iudicio, mentio fiat : « Ut appareat, quam juste negetur « reprobis tunc misericordia, qui nunc proximo « misericordiam non impendunt; » maxime cum, ut Euthymius bene considerat dilectionis illius reciproce, quam Christus specialium characterem esse voluit, unde dignosci possit Christianus, *Joan.*, xiii, 35 : *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei eritis, si dilectionem habueritis ad invicem*; optima pars sit misericordia in proximum. Dicit enim hic Auctor : « Hujus autem optima pars est amor pauperum, et erga proximum misericordia, et compassio juxta Gregorium Theologum, nulla enim « alia re, inquit, inter omnes, ita colitur Deus, ut « misericordia, neque alii cuiquam magis repetitur humanitas, quam humanitati. » Regius Propheta David, ut equidem credo, hodierni Evangelii processum in spiritu prophetico prævidens, *Psal.* cxi, 5, ita scribit : *Jucundus homo, qui miseretur, et commodat, disponet sermones suos in iudicio, quia in æternum non commovebitur*. Chrysostomus legit : *Rationes suas*, sed naturalius legitur sermones, quia quisquis erga pauperes compassionem habuerit, nullam timendi causam habebit, ipsique iudicii libere respondere poterit; cuius contrarium accidit illis, qui hic in terris nulla habuerunt viscera pietatis. Unde Chrysologus, *Serm.* xi, ait : « Sine causa accusans peccata, quem pauper excusat; videbit diem malum, qui diem iudicii sine « advocacy paupertatis intrarit. »

7. — Quoad sensum vero mysticum S. Thomas in *Catena* sua citat Rabanum, dicentem : « Esurientem, et sitientem iustitiam pane verbi reficit, vel « potu sapientia refrigerat, et qui errantem per « hæresim vel per peccatum, in domum Matris « Ecclesie recipit, vel qui infirmum in fide assumit, « vera dilectionis observat jura. » Lyranus quoque dicit : « *Esuriet* in membris meis, desiderantibus « Eucharistiam. »

## VERSUS 37.

*Tunc respondebunt ei iusti, dicentes : Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus te? etc.*

1. — *Impossibile est mentiri Deum*. Hebr. vi, 18. Quomodo igitur Christus, de electis adeo perspicue testari potest, quod hi oblitii sint operum honorum, illaque ignorent, quæ in via sedulo exereverunt? Nimirum desiderium, quo iusti in divino servitio magis magisque semper progredi desiderant, adeo est fervens, ut oculum suum non dirigant ad ea, quæ fecerunt, sed ad illud tantum, quod illis etiam restat faciendum. Unde Apostolus, *Phil.* iii, 13, dicebat : *Quæ retro sunt, obliviscens*, etc. At vero licet ipsi bonorum operum suorum oblitii esse

videantur, Deus tamen omnium illorum adeo firmam et recentem habet memoriam, ut expresse, *Marc.* ix, 40, dicat : *Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aque frigida tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam*. S. Thomas, in *Math.*, ait : « Bonarum mentium est, quod ea, quæ propter Deum faciunt, « parva reputent. » Idem S. Doctor, in *Catena*, Rabanum citat dicentem quod hoc loquendi modo nequaquam ostendere voluerint se aliquam, circa Christi promissiones factas, habere difficultatem, « sed stupent de tanta sublimatione et de maiestatis suæ magnitudine. » Vel etiam excessivam retributionem, quæ in hac invitatione : *Venite benedicti, etc.*, latet, intelligentes, merita sua ad eandem comparata, inaequalia et improportionata esse fatentur. « Videbatur eis parvum esse bonum, « quod egerant, secundum illud Apostoli, *Rom.*, « vii, 18 : *Non sunt condignæ passionis huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*; » ita idem Rabanus.

## VERSUS 40.

*Amen dico vobis, quandiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.*

1. — S. Cyprianus, *tract. de elem.*, dicit : « Quid « potuit nobis majus Christus edicere? quomodo « potuit magis iustitiæ ac misericordiæ nostræ « operam provocare, quam quod prestari id sibi « dixit, quod egent præstatur? » Cajetanus, *ibid.*, observat Christum non dixisse : « *Quandiu fecistis « uni pauperi*, quia benefacere homini pauperi, « officium est naturalis misericordiæ, commune « fidelibus et infidelibus, sed benefacere fratri Jesu « Christi, officium est christianæ misericordiæ, « quæ in pauperibus Christum considerat et propter « Christum exercet hæc opera. » Jansenius, *ibid.*, quoque notat, Christum dicere, *ex his*, indigitando illos, qui ibi erant presentes, nimirum Apostolos et discipulos, qui in eodem iudicio futuri sunt assessores, adeoque de illis præcipue pauperibus loquitur, qui pro tempore fuerint, per voluntariam paupertatem, divino ejus servitio dedicati : « Qui « voluntarie pauperes facti, variis in hoc mundo « propter Christum attriti fuerint calamitatibus. » Origenes rationem reddit, cur illos minimos appellari : « Minimos hic dicit, aut quasi in mundo minimos existimatos, aut quia apud seipsum minimi « erant; volentes enim apud Deum fieri magni, « seipsum minime faciebant. »

2. — Cajetanus ingeniose observat, quod Christus in throno maiestatis residens, non dignatur appellare fratres suos pauperulos. Auctor Imperfecti, *ibid.*, a Luca Brugensi citatus, diu ante hanc eandem reflexionem fecit, asserens, quod magnates illi, qui ex loco, gradu, stemmate infimo et vili ad

præclaras dignitates evehuntur, natalium suorum commemorationem, coram se fieri ut plurimum dedignantur : « Christus adhuc gloriatur, fratres « suos dicendo, sedens in maiestate, quia veniens « in iudicio gloriæ, non mutavit voluntatem priorum rem. »

## VERSUS 41.

*Tunc dicit et his, qui a sinistris erant : Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et Angelis ejus.*

## Discedite.

1. — Discessus iste non paulatim et pedetentim fiet, sed præcipitium quoddam erit, siquidem damnati in eodem momento præcipientes aguntur in profundum abyssi, quod in terræ centro situatur, *Psal.* lxxii, 10, 11 : *Introibunt in inferiora terræ, traudentur in manus gladii*. Horribilis hic casus erit, quia ab altitudine quadam, quæ facile aliquot miliarium miliones adæquabit, dilabentur; accumulabanturque unus super alterum sine ullo ordine, ingenti autem cum confusione, erunt ad invicem compressi sicut uvæ in torculari, vel sicut lateres in fornacem coniecti, vel sicut in camino ardentis prunæ; ac denique in eadem fastidiosa et incommoda positura et situ manebunt in sempiternum. Unde S. Anselmus ait : « Tanto ponarum « prementur pondere, ut ne pedem vel manum « impii movere possint. » Discessio hæc fiet, sine ulla spe alicujus unquam futuri reditus, quia condemnatio inappellabilis et irrevocabilis erit; nullum posthac iudicium insititnetur, omnis erigendi capitis ad aerem vel coelum contuendum, spes præcisæ erit, adeo ut vere dici possit : *Magnum chaos firmatum erit inter eos, et coelum.*

2. — Albertus Magnus, *ibid.*, dicit : « *Discedite a « me*, quia dum vixeratis, dixistis mihi, *recede a « nobis, scientiam viarum tuarum nohnum.* »

## A me.

3. — Id est, ut Albertus Magnus glossat, « a « vultu Dei, et a bonis; » unde hisce verbis damnatis pena quædam intimatur, quæ a Theologis pena damni dicitur, *Psal.* cvii, 18 : *Dilexit maledictionem, et venit ei; et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo, et induet maledictionem sicut vestimentum*. Chrysostomus, *Hom.* xxiv in *Math.*, tormentum istud, quo quis in sempiternum visione Dei privatur, incomparabiliter majus et atrocius esse censet supplicio ignis æterni : « Hæc pena « major est, quam cruciatus ille flammarum; novi, « quod probatissimi pertimescant ignem gehennæ, « ego tamen Christi amissionem multo amarius, « quam gehennæ puto esse supplicium; » et hæc forte ratio est, cur increata et incarnata Sapientia, sententiam hanc condemnatoriam extendendo, pœ-

nam damni primo, poenam vero sensus, secundo loco ponat.

4. — S. Bruno, Carthusianorum Patriarcha, omnes alias abyssos se potius sustinere paratum esse dicebat, quam solam visionis Dei privationem; unde, *Serm. de iudic.*, ita scribit : « Addantur tormenta tormentis, et poenæ poenis, sæviant seivius « sevvissimi ministri, ac Deo non privemur. » Et quidem hujus facturæ intimus dolor reprobis damnatis vel maxime imprimetur, per aspectum remunerationis, quæ antecederet electis facienda erit, *Eccl.*, xv, 16 : *Irruat super eos formido et pavor in magnitudine brachii tui, donec pertransent populus tuus, quem possidisti.*

## Maledicti.

5. — Albertus Magnus ait : « Maledicti exprobra- « tio est culpæ; maledicti qui declinant a mandatis « tuis, maledicti, hoc est, malo addicti. » Etenim unicuique sigillatim transgressionum suarum reatus exponet, quibuscumque ipsum tot annis gravissime offendit, quorum numerus nonnumquam in plurimis, ad millionum excurret miliones, simulque clare iisdem exponet injuriæ sibi factæ gravitatem; unde sit, quod vermis eorum non morietur. Et hic quidem adeo graviter damnatus affliget, ut S. Bernardus, *Serm. de Assumpt.*, hunc vermem, sive malæ conscientie remorsum infernum merito appellat : « Infernus quidem, reis conscientia est. » Porro Titelmanus quærit, qua ratione David Deo gratias agere potuerit, eo quod ipsum ab inferno emisisset; cum axioma sit indubitatum, quod *in inferno nulla est redemptio*; et tamen Regius Propheta, *Psal.* lxxxv, 13, dicit : *Erusti animam meam ex inferno inferiori*. Respondet autem : « Posset « infernus iste recte intelligi carcer malæ conscientie, vere enim infernus est peccatum; » imo deterior infernus est abysso et barathro perditionis, atque ideo appellatur inferior; etenim inferior, atque extremus infernus est; imo peccatum faber ille est, qui inferiorem infernum fabricavit; in philosophia autem, una ex solemnioribus maximis hæc est : « Propter quod unumquodque tale et « illud magis. » Jure igitur dicere possumus, quod damnatus in hac maledictione totidem secum infernos conferat, quot futura sunt peccata mortalia, quæ ipse in vita sua commisit.

## In ignem.

6. — *Devorabit eum ignis, qui non succenditur*. *Job.*, xx, 26. Ut hic noster ignis ardeat, continuo alimento opus est; at vero ignis infernalis, pro ratione divinæ iustitiæ, majorem aut minorem æternitatem habet; ignis noster intra suam spheram per limitatam virtutem operatur, non vero item ignis gehennalis, qui ire Dei instrumentum existit; hic enim non ad octo tantum, sed ad centum

tum imo millenos gradus extenditur. Unde bene Tertullianus in *Apolog.* ait: « Longe alius est ignis, qui usui humano, alius, qui Dei justitiae deseruit; » de hoc enim infernali igne ita discurrit: « Quid mirum, si aeternaliter ardebit; aeterna erit materia, aeternum pabulum, anima et peccatum. » Porro folis, qui inextinguibilem hanc flammam insufflando accendit, ab Isaia, xxx, 33, his verbis insinuat: *Flatus Domini sicut torrens sulphuris, succedens eam, nocte et die non extinguetur, in semperiternum ascendet fumus ejus.* Enimvero nullum excogitari potest crudelius tormentum, quam si aliquis vivus concrematur et tamen sevitiae hae non nisi corpus solum potest afficere, praeterquam quod hic noster ignis factus sit, in comparatione illius, qui corpus pariter et animam in atrocissimis flammis istis ardere faciet. Ad haec, quantum foret tormentum, si quis contentis, imo millenis vicibus, vivus concremaretur; et tamen infinities erit tormentum damnatorum, qui in igne infernali, in aeternum perseverabunt.

#### Aeternum.

7. — S. Bonaventura, *Sern. in Dom. II post Ep.* dicit: « Cujus cor non percuteretur, si consideraret inferni penas, non solum intolerabiles acerbitate, sed etiam interminabiles aeternitate. » Bene et serio consideretur dictio illa, *aeternum*, nec non illud Isaiae, xxxiii, 14, dictum: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Quando Christus coram Pilato, in tribunali sedente, judicandus assistebat, finalis iudicii mentionem fecit, *Matth.*, xxvi, 64, dicens: *Amodo videbitis Filium hominis, sedentem a dextris virtutis Dei;* quasi idipsum ab illa hora futurum esset; cum tamen jam de facto mille, sexcenti, et amplius anni elapsi fuerint, nec tamen tale quid a nobis aut majoribus nostris unquam visum fuit. De facto quoque sexies milli et amplius anni sunt, a quibus Cain proceps in infernum actus est et tamen ad proportionem aeternitatis, vix unico momento ibidem fuisse censetur. Hoc verbum, *aeternum* serio meditatam eremitoria fundavit, monachis claustra replet, reges et imperatores ad concelandam pedibus sceptram et diademata sua induxit, caelum tot Martyribus, Virginibus, Confessoribus, aliisque innumeris ceclitibus adimplevit, cilia et disciplinarum aculeos adinvenit, hoc verbum S. Laurentio cruciulam et prunas, S. Catharinae rotam, S. Stephano lapides torrentis dulces et suaves videri fecit; illo verbo animatus S. Carolus, lupinis carnem suam enutrivit. Haec aeternitas a Davide profunde considerata, eundem virum secundum cor Dei constituit, *Psal.* lxxvi, 6, 7: *Cogitavi dies antiquos et annos aeternos in mente habui. Et meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum.* Denique infernus ille tam-

diu duraturus est, quamdiu Deus a reprobis contumeliatus et atroces injurias passus, ideoque isdem irreconciliabilis regnabit. Hic autem spiritu veritatis ipsomet teste, *Domini regnabit in aeternum et ultra.*

#### Qui paratus est diabolo et Angelis ejus.

8. — Hanc porro declarationem Christus sententiae suae addere voluit, inquit Origenes, ut inde intelligeremus, quod alias Deus non infernum, sed paradisum pro nobis fabricaverit: *Paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Unde Chrysostomus, *Hom. lxxx in Matth.*, ait: « Non vobis, sed diabolo et angelis ejus preparatum; ego regnum vobis, ignem autem non vobis, sed diabolo et angelis ejus preparavi, in quem quoniam vos sponte injectistis, vobis ipsis id reputate. »

9. — Idipsum quoque Jansenius, *ibid.*, docet, dum ait, Deum nobis predictis verbis insinuare voluisse, quod, quantum est ex parte sua, ipse nos ad aeternam salutem creavit, nos autem sponte nostra, et per propriae voluntatis arbitrium, illa nos reddidisse indignos: « Homines peccantes sua sponte, suisque demeritis se participes facere, et obnoxios eorum malorum, quae in primis et potissimum diabolo et angelis ejus erunt parata. »

#### VERSUS 42.

##### *Esurivi enim, et non dedistis mihi, etc.*

1. — Etenim in illo iudicio verificabitur, quod Psalmista, *Psal.* cvi, 42, praedixit: *Omnes iniquitates opprobabit os suum.* Et quidem non homicidia, usuras, sacrilegia, aut adulteria impis exprobabit, quia ut S. Anselmus, *in Matth.*, ait: *Non dicit: « Quia fecistis homicidia, sed quia ea elemosynis redime mere nolistis. »* Quis Nabuchodonosore sceleratior aut impietior fuit? Et tamen Daniel hoc ei consilium suggerere non dubitavit: *Peccata tua elemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiam pauperum;* quia verissimum est, quod *charitas operit multitudinem peccatorum.* Quis igitur se excusare poterit? Quis dicere audebit sibi defuisse cor ad amandum proximum, ejusque necessitatibus compatendum? Vide, qualiter levia injungit, inquit Chrysostomus, *in Cat.* « Non enim dixit: In carcere eram et non eripunistis me; infirmus eram, et non curastis me; sed *non visitastis, non venistis ad me;* » esuriendo etiam non pretiosam petii mensam, sed necessarium cibum; omnia ergo sufficientia sunt ad poenam. »

2. — Jansenius observat, quod multis modis aggravetur in hoc processu impietas et inhumanitas reproborum. Et quidem in primis valde adaugetur per « naturae et cognationis jus, quo commoveri a debuissent ad miserendum fratribus suis. » Unde Chrysostomus Christum introducit, impios hunc in modum alloquentem: « Si inimicus fuisset, nonne

« ad immisericordes etiam flectendos mitigando; dosque successisset passiones illae; inedia, frigus, vincula, nuditas, aegrotatio? » Quotidiana nos experientia docet, quod nationes et climate et moribus etiam barbarae, ad aliquam tamen misericordiam compassionem commoveri soleant: « Vos autem neque haec contulistis, amico dico, et Domino, et benefactori; at canem plerumque famescere videntes frangimur et belluarum inedia nonnunquam flectimur. » Imo canes, equi, aves a nobis nutriuntur et impinguntur, et Christus in pauperibus, fame mori permittitur.

3. — S. Basilius dicit, *Conc. 1 de elem.*, quod panis, qui prandio nostro superfluit, vestis a tineis corrosa, argentum denique, quo non indiges, sed in armario tuo sepultum delitescit: « Tot injuria afficit, quod hinc rebus, dum licet, non juvas. »

4. — S. Augustinus, *Sern. xx de verb. dom.*, ait: « Si in ignem mittitur, qui non dedit rem propriam, putas ubi mittendus est, qui invasit alienam; si cum diabolo ardere habet, qui nudum non vestivit, putas ubi arsurus est, qui expoliavit. » Panis nobis sufficiens adest, quo mortem nobis asciscamus aeternam, ad voluptatibus et appetitibus nostris sensualibus satisfaciendum prodigi sumus: at vero, quando de vita aeterna nobis comparanda, deque tot miseris, qui praefame et inedia moriuntur, in vita conservandis agitur, manus aetas, imo clausas habemus.

5. — S. Jacobus Apostolus, ii, 13, optime ad propositum ita scribit: *Judicium sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam.* Porro S. Bernardinus de Senis multas adducit rationes, cur Christus horum operum commemorationem instituat; quarum prima est, ut non solum propter spem aeternae remunerationis, verum etiam propter metum et formidinem inferni, ad misericordiae opera provocemur. Secunda est, ut nobis per hoc insinuet, nihil esse, quod Deum magis ad iracundiam et severe nos puniendos, permoveat, quam pietatis et compassionis defectus. Tertia, ut ostendat, nos non solum propter mala opera, sed etiam propter bonorum operum defectum, acriter castigandos esse, *Matth.*, vii, 19: *Omnis arbor quae non facit fructum excidetur, et in ignem mittetur.*

6. — Quodsi quaeras, an etiam aliorum peccatorum futura sit mentio? S. Bernardinus per adductam S. Augustini, *lib. XXI de civ. Dei*, xiv, auctoritatem ita respondet: « Virtute divina fiet, ut unuscujusque opera sive bona, sive mala, cuncta in memoria revocentur, et mentis intuitu mirae celeritate cernantur, ut excuset, vel accuset scientia conscientiam, atque ita simul ut omnes et singuli judicentur. » Idem S. Augustinus errori nonnullorum reproborum occurrit, qui non nisi illos reos declarandos aut judicandos esse existimant, qui in hisce misericordiae operibus defecerint;

at vero, inquit S. Doctor: « Qui digne pro peccatis suis elemosynas facit, prius eas incipit facere a seipso; indignum est enim, ut ipse sibi non faciat, qui facit in proximum, cum auidis dicentem Deum: *Diliges proximum tuum sicut teipsum;* » itemque audias: *miserere animae tuae, placens Deo;* nemo enim alius misericordiam exhibet, nisi illam prius erga semetipsum fecerit.

#### VERSUS 44.

*Tunc respondebunt ei et ipsi dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, etc., et non ministravimus tibi.*

1. — Glossa dicit: « Excusare salagunt, quasi Deum fallere possint, qui homines fallent, sed non habent excusationem, qui converti a malo et facere elemosynas noluerunt. »

#### VERSUS 45.

*Amen dico vobis, quamvis non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.*

1. — Jansenius bene observat, quam fuerit hoc a Christo adductum motivum efficax, ut, qui reprobis excusare sese poterit, cum per fidem et revelationem, manifestissimamque Dei declarationem, sciunt quod totum id, quod illis faciunt, aut quod illis a nobis datur, ipsemet fiat et deus Deo? « Dignitas ac dignatio ejus, qui non tantum suis fratribus, sed et sibi factum imputat, quod aliis suo nomine impenditur beneficii. » Quisquis igitur ad hoc sese reflectit, majorem utique aestimationem habebit pauperis alicujus, quam omnium amicorum suorum et potentum hujus mundi; nam ut Lucas Brugenensis ait: « In illo iudicio plus proderit nobis pauper unus, olim a nobis fotus quam omnes amici saepe a nobis magnifice excepti. » Et ideo saxo quovis duriores sumus, si haec Christi prelatio compassionem et corde nostro non eliciat. « Itaque quoties ad miseris juvandos pigrescimus, veniat nobis Filius Dei ante oculos, cui aliquid negare immane sacrilegium est. »

#### VERSUS 46.

*Et ibunt hi in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam.*

1. — Queri hoc loco potest, cur prius praemii reproborum mentionem faciat et postea praemii quo afficientur electi, cum tamen primo loco dixerit ad electos: *Venite benedicti;* secundo loco autem: *Discedite maledicti?* Rationem hujus reddit, hisce verbis Origenes, *tract. xiv in Matth.*: « Propterea quod proprium boni Dei est, recordari benefacta a bonorum, quam malefacta malorum; hic prius

« nominat penam malorum, deinde vitam bonorum, ut primam quae timoris sunt, evitemus mala, postea quae honoris sunt, appetamus bona. »

2. — Cajetanus quando ad horum verborum expositionem pervenit, ita scribit : « Siste prudens lector et nota in tribus documentis hujus capituli, damnari in inferno tria genera omissionum; » etenim in hoc capite, e quo praesens Evangelium desumptum fuit, antecederent parabola decem virginum ponitur, deinde de quinque talentis, ab abituriente Domino, servis suis ad fornus elocatis, ac demum tertio loco, processus sit ad finale iudicium : « In parabola virginum, damnantur imparati ex omissione interni testimonii; in parabola talentorum damnantur pusillanimes, ex omisso usu divinorum donorum; hic autem damnantur omittentes opera misericordiae christianae. Quid cum illis aget aeternus Iudex, qui commisionem malorum operum peccaverunt, si illi damnantur, qui omiserunt bona opera. »

#### Ibunt.

3. — « Non sponte, sed coacti; » inquit Lucas Brugensis, « terra enim dehiscens et ibunt, et cadent, et projicientur; » idem quoque Abulensis q. cccxxi scribit, dum ait : « Divina potentia aperietur terra, fietque usque ad orbem hiatus magnus, per quem ibunt, postea claudetur. »

4. — In hac predicatione, quam Deus adeo anticipata fecit, adimpletur, quod de ejus misericordia, Tob., iii, 13, scribitur : *Cum iratus fueris, misericordiae recordaberis*; etenim ut bene Lucas Brugensis ait : « Huic iustitiae Dei observa clementiam summam conjunctam omnino servare homines volentis et minime perdere, si enim perdere vellet, non ante tot saecula praemoneret iudicii sui et aeternorum suppliciorum; » siquidem ut advertit S. Augustinus, *Serm. de Sen.* : « Non te vult percutere, qui tibi clamat : observa. Invitus vindicat, qui quomodo evadere possimus, multo ante demonstrat. »

#### In supplicium aeternum.

5. — « Aeternam nominat penam, » inquit Origenes, *ibid.*, « ut vitemus mala et appetamus bona; » etenim cogitatio et memoria aeternitatis, frenum est peccati et ad virtutum exercitium prosequen-

dum stimulus et calcar. *Incurvati sunt colles mundi ab itineribus aeternitatis ejus, Hab.*, iii, 6; id est, quotquot in hoc mundo prosperantur, ideoque per fastum et superbiam in sublime inaniter superextolluntur, subito humiliantur; omnemque fastum deponentes, divinae se legi subjiciunt, quando sese ad pauca haec verba reflectunt.

6. — Querit hoc loco S. Thomas, qua ratione divina iustitia salvetur, dum peccatum, quod a nobis temporaliter committitur, a Deo poena aeterna castigatur; eandem quoque questionem alibi movet et scribit : « In suo delicto aeternum peccasse dicitur homo, non solum ob continuationem actus in tota vita, verum etiam hoc ipso, quod finem in peccato constituit, voluntatem habuit in aeternum peccandi, » id quod consonat cum eo, quod S. Gregorius ait, nimirum quod Deus oculum suum ad cor et voluntatem nostram, non vero ad actionem hominis externam, directum habeat : « Voluisse utique, si potuissent sine fine vivere, ut potuissent sine fine peccare; ostendunt, quia in peccato semper vivere cupiunt, qui nunquam desinant peccare, dum vivunt; ad magnam ergo iustitiam iudicantis pertinet, ut nunquam carere supplicio, qui in hac vita nunquam carere voluerunt peccato. »

7. — Secunda ratio, quam S. Thomas in Summa sua assignat, est, quia per peccatum infinite majestatis objectum ostenditur. « Infinite majestatis et honoris Deus; solum, summum aeternumque bonum; et finis ultimus hominum, quo impie rejecto vilis peccator, creaturis ipsius audet inherere, luce meridiana clarior evadit, juste puniri supplicio aeterno, qui offendere non veretur Deum aeternum. »

8. — S. Augustinus, *lib. XXI de Civit. Dei*, ait : « Factus est homo malo dignus aeterno, qui in se premit bonum, quod esse posset aeternum. »

9. — Aliam quoque rationem S. Thomas, super Mattheum scribens, adducit, estque S. Hilarii dicentis : « Culpae debetur poena, sed culpa non delectur nisi per charitatem; ergo quantum homo non habet charitatem, justum est, quod semper sit in poena. » In barathrum illud aeternae perditionis nec amor Dei, nec divina gratia penetrabit in aeternum et consequenter cum culpa semper viva remaneat, poena quoque sempiterna sit, necessum est.

## FERIA TERTIA POST PRIMAM DOMINICAM QUADRAGESIMAE

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. XXI, VERS. 10

10. Cum intrasset Jerosolymam, commota est universa civitas, dicens : Quis est hic?
11. Populi autem dicebant : Hic est Jesus Propheta a Nazareth Galilaeae.
12. Et intravit Jesus in templum Dei, et eiciebat omnes vendentes et ementes in templo, et mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit.
13. Et dixit eis : Scriptum est : Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum.
14. Et accesserunt ad eum caeci, et claudi in templo, et sanavit eos.
15. Videntes autem Principes Sacerdotum et Scribae mirabilia, quae fecit, et pueros clamantes in templo, et dicentes : Hosanna filio David, indignati sunt, et dixerunt ei :
16. Audi quid isti dicunt? Jesus enim dixit eis : Uti que, nunquam legis, quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem?
17. Et relictis illis, exiit foras extra civitatem in Bethaniam, ibique mansit.

#### VERSUS 10.

*Cum intrasset Jerosolymam, commota est universa civitas, dicens : Quis est hic?*

1. — Hic ingressus idem est cum eo, quo in triumpho Palmarum, urbem Jerosolymam ingressus fuit, acciditque quinque diebus ante Pascha, in quo eum crucifixerunt. Rabanus ait : « Notanda concordia non solum in rebus, sed etiam in temporibus Veteris et Novi Testamenti; decima enim die mensis primi, Agnus, qui in Pascha immolatur, domum introduci jussus est. » Hic autem Agnus Jerosolymam ingressus est, ut tempore congruo sacrificaretur, ut Glossa his verbis advertit : « Appropinquante Passionis tempore, appropinquavit Jesus loco, ubi posset inveniri, ostendens se non invitum pati. »

#### Commota est universa civitas.

2. — Porro acclamationes, quas totus hic numerosus populus, qui eum sequebatur, faciebat, prout Cajetanus observat, in descensu montis Oliveti inceperunt et quanto propinquius civitatem accedebant, tanto magis devotarum turbarum numerus crescendo augebatur : « Volavit fama per civitatem; excitantur universorum animi ob hanc civitatem. »

3. — Enimvero Hebraei, ut Jansenius advertit, evidentissimam Zachariae prophetiam, ix, 9, relatum, in qua hic Christi triumphus praedicitur, dissimulassent; ecce tibi, universae hujus tam vastae civitatis commotio et admiratio illam eis exprobrasset et ad memoriam revocasset.

4. — Principes quidem synagogae, Sacerdotes, Pontifices, Scribae et ministri Caesaris, triumphum

hunc spectarunt, audierunt voces populares, quibus ipsi, tanquam vero Israelis Regi, gloriose acclamabatur, imo toti huic comitatu et commotioni, tanquam spectatores praesentes aderant, nec tamen constat, quod eidem se opponere praesumpserint, multo minus, quo illum, tanquam laesae majestatis reum accusarint, sed potius illis, ei tanquam novo Regi applaudentibus, consenserunt. Unde Lucas Brugensis ait : « Nisi adfuit Dei virtus et in illo contemptibilem carnis habuit, conspicua fuisset spiritus Majestas, quae attonitos reddidisset, quomodo passi fuissent suo magno periculo, Jesum Regem excipere et in urbem regiam, regia pompa palam induci? »

#### Dicens : Quis est hic?

5. — Verum enimvero qua ratione, eum tanquam peregrinum se non agnosceret, quis sit, simulare poterunt, quem frequentissime, et viderant, et predicantem in templo auscultarant? Potest esse, quod aliqui id ex contemptu dixerint, dum eum invidis oculis, tanto cum applausu recipi et honorari viderunt. Sic enim Pharaos, *Exod.*, v, 2, quoque dixit : *Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus et dimittam Israel? Nescio Dominum.* « Non quod non novissent, » inquit Lucas Brugensis, « sed quod a livore adustus, crepantesque invidia, indignum a dicere vellent et honore. » Et quidem quod invidiae stimulus erga ipsum fuerint exagitati, satis manifeste ex illo concilio deducitur, quod tunc adversus illum congregarant, *Joun.*, xi, 47, in quo dicunt : *Quia facimus? quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. In Ecclesiastico, xii, 29, dicitur : Pauper locutus est et omnes dicunt : Quis est hic? Albertus Magnus ait :*